



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 46. Præsules in mari capiuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

Anno 1239 Papa Cardinalem Joan-Sæcul.XIII.  
nem Columnam in Marchiam Anconita- A. C. 1241.  
nam tanquam Legatum suum miserat, *Ricard.*  
qui Henrico Imperatoris patris sui nomi-  
ne cum copiis eam ingresso sese oppone-  
ret. Verum Cardinalis a Papa, in quem  
haud æquo erat animo, ad Fridericum  
mensē Januario an. 1241 transiit: & post  
semestre spatium relicta Roma, loca mul-  
ta Romanis ex odio Papæ ademit. Im-  
perator sequente mensē Aprili Beneven-  
to Ecclesiæ Romanæ erepto, die Domi-  
nica, 14 ejusdem mensis Faventia in Æ-  
milia post longam obsidionem potitus, ad  
oppugnandam Bononiam sese paravit.

## §. XLVI.

*Præfules in mari capiuntur.*

Interea quam plurimi Præfules Genuam  
convenerant, mari Romam ad conci- *Matth. Par.*  
lium venturi. Inter eos tres erant Le-  
gati. Jacobus Cardinalis Episcopus  
Prænestinus in Gallia, Otto Cardinalis  
Diaconus in Anglia nuper legatione de-  
functi erant; & Gregorius Romandiola-  
nus Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, Pa-  
pæ a facello, Genuam missus fuerat, ut  
naves ad trajiciendum pelagus compara-  
ret. Priors duo adduxerant Galliæ,  
Angliæque Præfules, multi etiam ex Hi-  
spania advenerant. Cæterum cum Ge-  
nuen-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1241.

nuensibus pacti crant, ut pro pecunia summa cum comitibus suis tutissime Romanum veherentur; & Papa se mari missorum eis militarem manum tam numerosam spoponderat, ut nihil esset, quod ab Imperatore proscripto & Superis exoso sibi metuerent.

Is re comperta Præfules Genuæ presentes per Legatos oravit, ut ne marinum, sed terrestre per ipsius provincias iter facerent, securitatem plenam & cuiusmodi peterent, pollicitus. *Cupio, subjungebat, meas rationes viva vobis voce expōnere: & cum de æquitate causæ meæ vos perfekte edocuero, eam concilii judicio præse subjiciam.* Addebat graves de Papa querimonias, Continuas, inquiens, injurias, & infamiam mihi ubique attulit, immānum me scelerum sine argumentis insinuans. *Periculosem sane foret ejus judicio causam meam committere, cum inimicum se meum declaraverit.* Præfules Legatorum & Papæ, non item Friderici promissis fidendum rati, Genuensium classem intrarunt, magnifice de viribus suis, sed de hostilibus contemptim loquentium.

Imperator Henrico filio suo collectam e Sicilia classem magnam commiserat, cui suam junxerant Pisani, illius partes secuti. Die Veneris, tertio Maji, sanctæ Crucis inventæ sacro duo exercitus navales sibi occurrabant, & post acre prælium

Genuen-

Ric. S. Ger.  
p. 1035.

p. 500.

Genuenses victi, Præfules plerique capti <sup>æcul. XIII.</sup>  
 fuere. Fridericus Regem Angliæ affi- <sup>A.C. 1241.</sup>  
 nem suum aliosque Principes hac de vi-  
 ctoria certiores reddidit per litteras, in <sup>Petr. de Vin.  
I. ep. 9.</sup>  
 quibus ait: *Dominus, qui ex alto videt, Matth. Par.*  
*ac juste judicat, nostras in manus tradidit* p. 501.  
*tres Legatos, multos Archiepiscopos, Epis-*  
*copos, Abbates, aliosque Præfules, præter*  
*reliquorum Oratores, qui supra centum*  
*esse videntur, ac Nuncios rebellium Lombar-*  
*diae urbium.* Adjungit alia in epistola, *P. Vin. ep. 8.*  
 hunc prosperum successum fecisse, ut mu-  
 tato Bononiæ obsidendæ consilio Ro-  
 manum iret, quo se fortuna vocaret. Ca-  
 ptivi Pisani primum, deinceps Neapo-  
 linum vecti sunt.

Præfules fuga subducti ad Papam mi- <sup>ap. Rain.</sup>  
 ferunt epistolam, quæ portat nomina Ar- <sup>n. 58.</sup>  
 chiepiscoporum Joannis Arelatensis ac  
 Petri Tarragonensis, Episcoporum Assu-  
 ricensis, Auriensis, Salamanticensis, Por-  
 tuensis, & Placentini in Hispania. *Ten-*  
*debamus, ajunt, ad Sanctitatem Tuam*  
*cum Archiepiscopis Rothomagensi, Burdiga-*  
*lensi, Auscensi, & Vesuntino: cum Episco-*  
*pis Carcassonensi, Agathensi, Nemausensi,*  
*Dertonensi, Aflano, ac Ticinensi, & cum*  
*Romipeta missa a Comite Provinciæ.* Ille  
*salvus evasit ut nos & Archiepiscopus Com-*  
*postellanus, qui Portu Veneris manserat,*  
*Archiepiscopus Braccarense, Episcopus A-*  
*niciensis, paucique Nuncii: cæteri capti sunt.*  
*Suppli-*

Sæcul. XIII. *Supplicamus igitur, ut contra tyrannum*  
A.C. 1241. *pro atrocitate criminis sui decernas, quoniam eo regnante Ecclesia nullam habebit pacem, timendumque est ne cuncti Principes exemplum ejus sequuntur.* Dabant Genuæ 10. Maji.

*Matth. Par.*  
*p. 501.*

Captivi Præfules multa sufferebant incommoda. Versabantur diu in mari catenis vinciti, & in triremibus coarctati, fame sitique pressi, aëris calori, muscarum aculeis, militum & nautarum convitiis ac injuriis expositi. Carcer eis quies videbatur, cum tamen delicatores ibi ægrotarent, & quidam morerentur. Omnium pessime habebatur Episcopus Praenestinus, Imperatori invisissimus. Mense Iulio Salernum translati sunt. Papa epistolas eis consolatorias scripsit, in quibus Abbates Cluniacensem, Cisterciensem, & Clarævallensem inter captivos memorat. Queritur de modica cautione Legati sui Roberti Romandiolani, qui majorem triremium numerum colligere potuisset. Hortatur captivos ad patientiam exemplo veterum Martyrum habendam. Promittit simul, se nihil omisurum, ut illos per vim in libertatem afferat, & acceptam injuriam compenset.

*Ric. S. Ger.*  
*XV. ep. 85.*  
*109.*  
*ap. Rain.*  
*n. 69. 72.*

§. XLVII.